



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola XXII. Alexandri Papae III. Ad Eosdem. Significat nihil iurium
ademptum esse Thomae Cantuariensi archiepiscopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

EPISTOLA XXII.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD EOSDEM.

Significat nihil iurium ademptum esse Thomæ
Cantuariensi archiepiscopo.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Vvilielmo sancti Petri Ad vincula presbytero, & Oddoni sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono, cardinalibus, & apostolicæ sedis legatis, salutem & apostolicam benedictionem.

POST discessum vestrum graues ad nos rumores fuerunt perlati, dilectum scilicet filium nostrum Ioannem Saresberiensem decanum publice proposuisse, quod cum episcopos, & alias personas ecclesiasticas, & sæculares de regno Anglorum a iurisdictione & potestate venerabilis fratris nostri Thomæ Cantuariensis archiepiscopi exemerimus, iuxta beneplacitum & voluntatem regis Anglorum, ad eius dispositionem pariter & condemnationem intenderemus, & vos pro hac re specialiter mittere deberemus; aliud quoque nobis insinuatum est, quod Ioannes Cumin de Oxeneford omnia rescripta literarum nostrarum, quas a nobis obtinuit, Guidoni Cremensi antipapæ monstrauit, & ipsi secreta nostra detexit. Vnde idem archiepiscopus erubescencia & dolore confunditur, & carissimus in Christo filius noster Ludouicus illustris rex Franciæ, & principes eius non parum sunt de eiusmodi rumoribus conturbati, & vehementius commoti. Licet autem a pluribus nobis proponatur, & quodammodo credibile videatur, quod prædictus Ioannes pro honore & exaltatione prædicti archiepiscopi & ecclesiæ suæ, & pro libertate ecclesiæ tantum & ita fideliter laborauerit, quod studio & sollicitudine sua, postquam ad propria rediit, viros ecclesiasticos, qui regia captione detinebantur, ab ergastulo carceris fecerit liberari: & etiam idem Ioannes per literas suas nobis significauerit, regem publice cum multis dixisse, se velle clericis suæ terræ illam libertatem, quam habebant tempore Henrici aui sui, seruare: quia tamen huiusmodi fama vsque adeo creuit, quod in partibus illis

Concil. Tom. 27.

Ll ij

opinionem nostram sinistra faciat æstimatione corrodi, discretionem vestram monemus, atque mandamus, quatenus continuo per literas vestras prædictum archiepiscopum consolari curetis, & omnem ab animo eius amaritudinem & suspicionem tollentes, eum cum prædicto rege in primis reconciliare, & plenam inter eos pacem componere omnimodis intendatis, & quanta poteritis ad hoc sollicitudine & diligentia elaboretis; ita quod sibi & ecclesiæ suæ antiqua iura & libertates integre & illibate seruetis. Nec in terra ipsius regis aliquid quod magnum sit faciatis, & in regnum eius si vos intrare velletis, nulla ratione intretis, nisi archiepiscopus sibi primitus integre reconcilietur. Quia super his nobis & vobis detraheretur plurimum, & communis vox omnium honestatem vestram finistris detractionibus laceraret. De Ioanne vero Cumin si ita esse inueneritis, districtam iustitiam faciatis, ita quod alii debeant a similibus deterreri. Volumus autem, ut in omnibus actibus & operationibus vestris circumspicite & mature & prouide vos habeatis, ita quod aduersus vos nulla possit detractionis materia subrogari, & deuotio vtriusque regni per studium & conuersationem vestram circa nos & ecclesiam debeat incessanter augeri, & vobis exinde perpetua valeat laus & gloria comparari. Datum Laterani Nonis Maii.

EPISTOLA XXIII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM ARCHIEPISCOPVM
CANTVARIENSEM.

Regem humilitate vinci consulit.

Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuariensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

ETSI aduersitatum & laborum angustia tibi acrius incumbere & inualescere videantur, plurima tamen sanctorum patrum tibi exempla proponas, qui sicut tu multas zelo iustitiæ calamitates & angustias passi, immarcessibilem coronam & cæleste regnum meruerunt felici-